

morti involveret Lapsus asque remedio, nisi Quia DEO ita visum est? Decretum quidem horribile; fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quæ exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet: & adeò præsciverit, quia decreto suo sic ordinârat.

29. *Petrus Martyr, in Epistol. ad Rom.* Non possumus inficiari, Deum quoquo modo esse Causam peccati, sive, consideremus actionem, quæ naturalis est, sive gratiæ ac virium subductionem &c. *Et pag. 38. disertè scribit: Deum velle, inclinare & impellere voluntates hominum ad gravia peccata.*

30. *Sed exhorrescat cælum & stupefiant elementa ad tam horrenda blasphemiarum portenta, quorum ne externum quidem sonum quisquã pius, quin totus contremiscat, sustinere: ne dum ijs ex corde assentiri potest.*

31. *Producunt quidem blasphemiarum istarum architecti & patroni, magno numero coercervata scripturarum testimonia, quæ Deum mali autorem & effectorem constituunt.*

32. *Sed non attendunt introduci in ijs Deum tanquàm justum judicem præcedentia peccata justè vindicantem: ac proindè Mali distinctionem observandam, quæ aliud pœnæ, aliud culpæ, rectissimè ex unanimi Ecclesiæ consensu constituitur:*